

turpe illum, quo olim gentiles infames erant; idololatriæ errorem inciderunt.

§. 5.

Mirari quidem semper subiit, qui hominum animus diuina ubique sectans, a conditore ad res conditas ut translaret, et quam illi rapuerat divinitatis gloriam, his ut tribueret, a se impetrare potuerit. At eam stultitiam, quae beneficia Christi spernit, quae sane, sepositis reliquis, in se spectata, maiestatem Iesu abunde comprobata dare poterant, satis mirari, vel potius satis deflere neminem posse existimo. Eam certe Paulus miratur eam ob rem, quod Iesum valere iubeat, cuius sola vox tanta tamque mirabili virtute polleat, ut terram movere queat, *Ἐ ή Φωνὴ ἡνὸς γῆν εστάλευτε τότε κ. τ. λ.*

Nemo est tam rudis, quin videat, tria in uno hoc commate de voce Iesu mirabili elogia comprehendendi, eam movisse terram in deserto Sinai, eam loqui in Haggaeo, eam denique terrae motum in passione Christi ingentem excitasse. Sed antequam de terrae motu tam hoc, quam illo, cui opponitur, dicamus, quaedam de voce Iesu, in qua *Dei omnia plena* sunt, affreremus. Plena Deo vox humana Iesu fuit, quoties oris divini suavitate abundabat, & melle dulcior eius fluebat oratio. Et quanquam e tabulis N. T. haud constat, num sonus eius fuerit inflexus, acutus, an gravis; inde tamen, quod homo sine exemplo fuerit, tuto colligimus, & vocem Iesu omnibus numeris absolutam fuisse amoenissimamque, cum in primis haec opinio prophetarum testimoniis haud mediocriter ornetur. Negat nimirum Esaias eam stentoream fuisse aut clamosam cap. XLII, 2, Matth. XII, 17. 18. 19. Ex altera vero parte Davides Dei spiritu actus pronunciat, cum praeclara Iesu pulchritudine summam oris suavitatem coniunctam esse, ac effusam gratiam in labiis eius sessitare Ps. XLV, 2. ut, quemadmodum Pericles a Comico Eupolide laudatus est, multo magis Sospitator laudandus